



**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ  
Antiqvitate**

**Hugo, Hermann**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XXIV. De notis Suffragatoriis. Quando eæ ortæ? Quales? Qualis suffragandi ratio? Duplices tabellæ. A. Antiquo. V. R. Vti rogas. Suffragia punctis adnotata ad ineundum numerum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

## CAPVT XIV.

*De notis Suffragatoriis.*

**E**x quo, Consulibus Mario & Flacco, perlata est Lex tabellaria à Luc. Cass. Longino, De suffragiis non voce aut hastarum sonitu, aut *χερσιν*, sed tabellâ ferendis, cœperunt notæ suffragiorum: vt apparet ex Cicer. lib. 111. de Leg. oratione pro Planc. & in Rullum. Erant verò eæ notæ, aut puncta, aut singulæ literæ. Ratio autem suffragandi talis, vt scribunt Turnebus, Tiraquelus, Gruchius, Budæus in post. Adnot. ad Pand. Comitia habebantur in Campo Martio, intra locum tabulis depalatum, quem Septa & Ouilia ab ouilis similitudine vocarunt. Ouid. 1. Fastor. Iuuenal. Satyrâ v 1. Martialis lib. 1x. Epigr. 1x. Strabo lib. v. Liuius Decad. 111. lib. vi. Plinius lib. xvi. cap. 1v. Suetonius Augusti cap. xliii. Aufonius in Panegy. Tum Rogatores obibant centurias vel tribus ( iam enim curias à Romulo institutas Rex Seruius in centurias verterat, & Tribuni denique in tribus) rogantes ecquam singuli tabellam vellent? Erant enim duplicis generis tabellæ; aliis inscribatur A. id est, Antiquo; aliis V.R. Vti rogas. Post hæc, Diribitores diribebant, id est, distribuebant eam tabellam, quam quisque velle se Rogatori respondebat. Deinde suffragatores cum suâ singuli tabellâ ibant per pontes tumultuario opere extractos, in quibus *καθίστονοι*, hoc est, sitellæ erant positæ, vt Plautus; vel urnulæ seu cistæ, vt loquitur Plinius. His urnulis, coram appposito custode ( ne qua fraus fieret)

ret) finguli tabellam suam iniiciebant. Denique tabellæ simul omnes excernebantur à custodibus, qui ex iis suffragiorum omnium inibant numerum, eumque in tabulâ (ad quam positi dicuntur à Cicerone) punctis adnotabant. Hinc passim apud Latinos scriptores, elegantes & prisca illæ formulæ: Puncta ferre, Tribum ferre; pro, Habere suffragia.

Quando autem pro candidatis ibatur in suffragia; primam tantum literam è cuiusque cui suffragabantur nomine, in tabulâ adnotabant suffragatores; vt scribit de Comitibus Nicolaus Gruchius.

## CAPVT XXV.

*De notis Tesserariis.*

**T**ESSERAM, inquit Turnebus libro xix. cap. xxvi. à Græco τέσσαρες dictam puto, id est, quatuor: erant enim tessera olim frustilla lignea quadrata. Idem asserunt Lambinus in Cistellar. Plauti, Brissonius De signif. verb. Cælius Rhodiginus libro xx. cap. xxvii. Alexander lib. iiii. cap. xxi. ibidem Tiraquell. Et quidem de materiâ tesserarum lib. xvi. cap. xviii. Plinius: *Tesseris aptissimum ligustrum.* Dio scribit ab Hadriano *tesserulas ligneas sparsas.* à Tito Vespasiano σφαιρία ξύλινα, *globulos ligneos.* Polybius, ξυλίνιον vocat tesseram militarem, quod Lipsius eleganter *ligellum* vertit.

De formâ verò quadratâ ex vocis etymologiâ constat; quamquam & lusoriæ tessera, sicut alex nostrates, sex lateribus constabant, quo differabant à talo, qui quadrilaterus erat; vt ex Mar-

riali